Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

venit ad eos quidam iuvenis in veste alba. cum splendore magno qui eos consolatus est. ad cuius ingressum vincula eorum soluta sunt. et ostium carceris apertum. Nos vero quasi mortui fugimus. Tunc Regulianus. ducantur inquit foras rebelles. et diis nostris libamina cogantur offerre. Si sacrificare contempserint: extra urbem ducantur. quo ibique suppliciis tormentorum carnes eorum afficite. quo adusque de hac vita per tormenta recedant. Ministri autem fecerunt sicut eis fuerat imperatum. Cumque educerentur. et thura diis offerre recusarent. crudelissime lacerata eorum fustibus cesa sunt. et dum per plateas civitatis traherentur. carnificibus eos fortiter cedentibus. videns beatus Romulus quandam puellam de puteo aquam haurientem. sibi aquam tribui postulavit. Puella autem metu carnificum exterrita. aquam dare renuebat. Tunc beatus Romulus facta oratione cum sociis suis. omnem illius putei aquam in sanguinem converti fecit. Christianis vero ex illo puteo aquam gustantibus. pagani sanguinem hauriebant. Quapropter omnes predicte urbis pagani cum carnificibus iuncti. in sanctos dei sedicionem fecerunt. et extra urbem duxerunt. Quidam vero ex paganis se iniuriam deorum suorum vindicare dicens. aliis audacior. de vagina sua gladium abstrahens. et in sanctum dei Romulum fortiter irruens. perfodere eius carnes crudeliter cepit. Beatus autem Romulus martyr multis plagis confossus. cum palma martyrii spiritum omnipotenti deo reddidit. Socii autem eius. idem Marcianus. et Crescentianus. carissimi et dulcissimi. capitalem iussi sunt subire sententiam. Qui simul decollati. ad celestia regna cum martyrii palma pervenerunt. Quorum corpora christiani colligentes. et cum aromatibus condientes. simul sepelierunt ad radicem montis eiusdem urbis. mense iulio miliario uno. Martyrizati sunt autem beatus Romulus sociique eius in civitate Fesolana. temporibus Neronis imperatoris. ab impiissimo Regulano. pridie nonarum iuliarum. regnante domino nostro Iesu Christo. cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

C. xiiii k. mai.

Passio sanctorum Eleutherii episcopi et Anthie matris eius.

ELEUTHERII NOBILISSIMI VIRI nos fama delectat. et animat fidei veritate veneranda concertatio. Huius etenim pater cum prior senatorum ac ter candidas edidisset. recedens de corpore parvulum dimisit et unicum matri sue Anthie. Quem mater postmodum offerens domino. cuidam episcopo tradidit. sacris litteris edocendum. Eleutherius vero crescebat in fide et etate. et gratia dei erat repletus. Et cum esset annorum .xii. ad diaconii eum pervenire officium. et prestante dei misericordia. magis crescebat in fide. Factus itaque annorum decem et octo. presbiterium accepit. Dominus autem noster maiorem gratiam largitus est ei. Et cum esset annorum .xx. videns episcopus cui fuerat commendatus. multa signa per eum fieri. et spiritus inmundos expelli. petentibus eum sepe multis episcopum ordinari. et eum in Apuliam civitatem destinavit. Dominus autem semper cum Eleutherio erat. Tunc Adrianus imperator Romam de partibus orientis advenit. audiensque beati Eleutherii famam. quia signa et virtutes per eum dominus in urbe et in loco ad quem fuerat destinatus. demonstraret. misit Felicem comitem cum ducentis militibus. et exhiberi eum precepit. Veniens vero Felix comes cum equo ingressus est ecclesiam. et invenit eum tractantem verbum. Videns autem sanctus Eleutherius Felicem comitem dixit ad eum. Quid ad nos cum tanta tyrannide advenisti Felix? Numquid potestati vestre possumus resistere? Sed dominus qui me ab adolescentia mea gubernare dignatus est. ipse vestram insaniam superabit. Tunc Felix ad eum. Ad te inquit sum destinatus. Eleutherius respondit. Et ego sciebam. Nec enim quicquam eum latebat. quia spiritu dei repletus erat. Sic sanctus Eleutherius aperiens os suum plurimis eos allocutus est sermonibus. ita ut omnes mirarentur super doctrina eius. Et cadens ad pedes eius Felix comes. dixit ad eum. Da et mihi domine Eleutheri talem intellectum. ut credam in dominum tuum cui tu credis. Aptissime autem et vere cognosco. quia vana sunt que colui. Sic itaque Eleutherius facta oratione. imposuit ei manum. et fecit eum christianum. Egressi vero pergebant Romam. Et venientes ad quendam locum. videns aquam Felix dixit ad eum. Domine episcope. ecce aqua baptiza me ut deleantur peccata mea. et convertar ab insania qua teneor. Sic itaque Eleutherius tenens manum eius oravit dicens. Domine Iesu Christe qui sanctum Philippum apostolum tuum desiderantem eunuchum non prohibuisti baptizare. ita et nunc adesto super hunc famulum tuum Felicem. Et intingens eum dixit. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Post hec verba pergebant Romam iterque cum militibus. Ingressis vero Romam. nunciatum est Adriano imperatori Eleutherium advenisse. Iussit autem rex sibi alio die tribunal sterni in consistorio. et sedens pro tribunali. eum sibi precepit offerri. et dixit ad eum. Eleutheri quid passus es. ut de tam nobili genere. et talis viri filius. vanissime te traderes religioni. et colas eum qui ab hominibus crucifixus est? At vero Eleutherius stans stupebat silentio. Adrianus vero imperator dixit ad eum. Eleutheri. responde ad ea que te interrogo. Sanctus Eleutherius aspiciens in celum. facto signaculo Christi respondit. Libertas vera est et nobilitas generis humani. cognoscere dominatorem celi et terre et omnium nostrum creatorem. Adrianus dixit ad eum. Acquiesce mihi et adora deos meos. et faciam te magnum in palatio meo. Eleutherius dixit. Verba tua amaritudine et dolo sunt plena. tyranne Adriane. Ego enim pro deo meo non tantum pati. sed diversis modis impendi paratus sum. Tunc fremens Adrianus iussit afferri lectum eneum. et impositum eum per quatuor partes extendi precepit. ut eius interna membra disrumperentur. Ignis vero erat subpositus. Audientes vero Romani tantum certamen. ad spectaculum concurrebant. et clamaverunt dicentes. Innocens et valde liber homo sine causa moritur. Et cum insisteret